



Continuatio in hoc libro

- 1 Disputationes 24. In Confessione Auguſt. Hutteni
- 2 Sadnel & unioſoſa nos disp. 1.
- 3 Arieſocōs breuis de ſarō phyſicō ſuſu ni diſtinctis M. Fied. 3. Alduini
- 4 Disp. de ſtō. ſcti tum ſſora tum officio. Hofmanni
- 5 Diſput. 1. de Coena Dni. eiq̄dam. aſſerēs tō p̄tōy & mūhita
- 6 Diſput. 4. de Coena Dni. Hofmanni ^{deu p̄ licoem} ex cap. 1. Cor. 10.
- 7 De noticijs Dni & Voluntatis ipſius Hofmanni
- 8 Drey Vnterſchiedli ſchreiban an d. Conſiſtorium zu
Leyffig, vnz alſoſt, Sub Exorcismi
M. Georſij Leyſtanij

Geß

Sammelband

30

DISPUTATIO V.

Ex articulo secundo Augustanae Confessionis.

DE PECCATO

ORIGINALI, PONTI-

FICIORVM STROPHIS

potissimum opposita;

Ad cuius assertiones,

Spiritus sancti favente Numine,

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI, S. S.

Theologiae D. & Professoris in alma VVi-
tebergensi Academia, defendet

IONAS NICOLAI KYLANDER,

Gothus, Suecus,

ad diem 27. Augusti, horis locoq; consuetis.



VVITEBERGAE,

Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.

DISPUTATIO V.
DE PECCATO ORIGINIS.
THESIS I.

Dvo potissimum D. Augustinus olim à DEO rogatus esse legitur: Da mihi nosse te: nosse me: universa humanae scientiae duo quasi generalia constituens capita: quorum illud in DEI: hoc in hominis terminetur notitia.

II.

Quò respicientes protestantes nostri, cum in primo confessionis suae Articulo de DEI notitia egerint, proximum statim locum hominis contemplationi hoc in Articulo assignare voluerunt.

III.

Considerant autem hominem hoc in articulo non in primo eius flatu, qui fuit integritatis & innocentiae: nisi quatenus ex subsequuta corruptione & oppositorum contentione de eo fieri potest iudicium: neque in tertio etiam & quarto, quorum hic in decimo septimo: ille verò in decimo octavo articulo sub disquisitionem veniet: Sed duntaxat in secundo, qualis nimirum eius post lapsum, ante regenerationem est conditio.

IV.

Apolog. Et quidem non sine gravi causa: Nam ut Apologia huius articuli admonet, magnitudo gratiae Christi intelligi non potest, nisi morbi nostri atrocitate cognita & perspecta.

V.

Qua in parte phreneticum quid miseri patiuntur mortales: ut quemadmodum phrenetici, morti licet quam proximè vicini, sanos tamen sese existimant: Sic hi, nisi hereditaria huius luis atrocitatem subinde in animum revocent, etiamnum sese sanos jactitare audeant, morbumque hunc suum certè deploratissimum non agnoscant, nedum de remedio cogitent.

VI.

Passus est confessionis nostrae prototypus, in hoc articulo censoriam virgulam, quae quidem, quoad sensum & veritatè partis primae θεολογίας, nihil immutavit: in ἀντιθεσίᾳ verò, ὑπερβολῶς aliquid occultare videtur, id quod infra in secunda huius disputationis parte ostendemus.

VII.

Archetypi ergo simplicitate acquiescentes, utramque ejus partem, θεολογίαν & ἀντιθεσίαν ad irruinam verbi divini appendemus.

Para

Pars I. Articuli II. Θ ΕΤΙΚΗ.

VIII.

Θεσις Articuli hujus duabus primariis questionibus commodè
absolvi & expediri posse, arbitramur, quarum i. est $\pi\delta\iota\ \tau\omega\ \delta\tau\iota$, An sit
peccatum originis. II. $\pi\delta\iota\ \tau\omega\ \tau\iota$, quid illud sit. His enim rectè perceptis
ac cognitis, de reliquis etiam questionibus quasi subordinatis facilior
erit disquisitio.

IX.

Initiò autem haud injuria quaeritur, an sit aliquod vitium &
peccatum originis: siquidem fuerunt & olim Pelagiani, & hodie ho. Quaestio I.
rum furorem ab Orco reducentes, Anabaptistæ, Cingliani & Sacramen- $\pi\delta\iota\ \tau\omega$
tarii, qui negativam sibi partim rectè, partim aperte fecerunt propriam, $\delta\iota$.
de quibus in altera hujus disputationis parte nobis erit $\delta\iota\acute{\alpha}\sigma\kappa\epsilon\tau\iota\varsigma$.

X.

Quaestio autem hujus affirmativam nostræ Ecclesiæ in frequentissim-
is illis Comitibus Augustanis, Anno 1530. defenderunt, ac etiam
num defendunt, cujus rei testis esse potest Christianæ Concordiæ Formu-
la, Art. 1.

XI.

Scripturarum nimirum expressis testimoniis sententiæ suæ funda-
mentum superstruentes, quæ $\tau\omega\ \delta\iota$ peccati originalis uno ore dilucidè
comprobant.

XII.

Classica ex Veteri quidem Testamento sunt isthæc: Gen. 6, 5. &
8, 21. Omnis cogitatio cordis humani ac omne ejus figmentum tantum
prorum ad malum ab adolescentia omni tempore: In quo utroq; loco
cum primis Emphaticum est Hebræum *lezer*, quod ipsam hominis Na-
turam & propensionem, & ut Iohannes Mercerus annotat, omne desi-
derium & concupiscentiam hominis exprimit, ac idem propè quod *Taa-
vah* significat.

XIII.

Quibus astipulans Psalter regius, in iniquitatibus hominem con-
cipi: Et Propheta Ieremias, Cor hominis supra omnia pravum esse, Psal. 51, 5.
clare testatur. Ier. 17, 9.

XIV.

Et Iob, consideratione hujus mali, in eas voces erumpit: Quis potest Ioh. 17, 4.
facere mundum de immundo conceptum semine? quid est homo ut im- & cap 15.
maculatus sit, & ut justus appareat, natus de muliere? Ecce inter San- 14. & 15.
ctus ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus;
Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit, quæ si aquam, ini-
quitatem.

XV.

In Novo Testamento primarii sunt isti Aphorismi Servatoris & Apostoli Pauli, Ioh. 3, 6. Quicquid ex carne natum est, caro est: caro autem & sanguis hereditatem adire non possunt, Rom. 8, 7. φρόνιμα τῆς σαρκὸς, Sensus carnis inimicitia est adversus DEUM, Ephes, 2, 3. Natura sumus filii irae.

XVI.

In primis verò doctrina isthac sedem quasi propriam obtinet in duobus illis Epistola ad Romanos capitibus, quinto & septimo: Sic enim ibi Apostolus hac de re disserit: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic ad omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt: Item, Novi, quod in me, hoc est, in carne mea, non habitat bonum.

Rom. 5, 12.

Rom. 7, 8.

XVII.

Priorem illum Apostoli Aphorismum D. Augustinus argute admodum explicat, inquit: Pertransiit, pertransiit: verbum attendite: Quod audivistis, considerate: Videte, quid est pertransiit? Inde est & parvulus reus: peccatum non fecit, sed traxit: Etenim peccatum illud non in fonte mansit, sed pertransiit, non in illum aut illum, sed in omnes homines pertransiit.

August. de verb. Apost. Serm. 4.

XVIII.

Ex quibus primùm de etymo huius vocabuli (peccati Originis) constat, sic nimirum illud indigitari, non respectu rerum creatarum initii: sed ratione propagati generis humani ortus.

XIX.

Deinde de causa etiam Efficiente propinqua, quae est Adam, per quem, Apostolo teste, peccatum in mundum intravit, de qua, ut & causis peccati reliquis remotioribus, in ἀναλύσει Articulii decimoini nobis erit ex professo differendum.

XX.

Tandem etiam ex his scripturarum testimoniis de complexu sive latitudine huius peccati potest fieri iudicium.

XXI.

Quorum vestigiis insistens nostra confessio, ingenuè respondet: Quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu DEI, sine fiducia erga DEUM, & cum concupiscentia.

Quaestio II. ἡγὶ τῆς ἡγιοχῆς sive amplitudine peccati originis.

Univer-

XXII.

Universos ergo homines, unico excepto Christo, quippe qui non secundum naturam natus, labe ista horribiliter infectos esse affirmat & cujuscunque tandem sint generis aut conditionis, tam marem, quam feminam; tam infantem, quam adultum, ita ut nemo prorsus, humana sorte genitus, peccati hujus sive labis originalis expers esse sit censendus.

XXIII.

Neque enim certorum duntaxat quorundam Individuorum, sed totius humani generis complexum, jam producta scripturarum testimonia notant.

XXIV.

Id quod etiam comprobatur πρὸς δ' ἰσχυρῶς ille Propheticus & Apostolicus, qui ita universalem istam corruptionem constituit, ut ne unus quidem sit, quem excipias: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum. Non est usque ad unum, Psalmo 14, 3. & Rom. 3, 12.

XXV.

Detestanda ergo Pontificiorum temeritas, qui B. virginem Mariam, Iohannem Baptistam, & Prophetam Ieremiam ex hoc communi hominum censu eximunt, & à contagio peccati originalis prorsus excipiunt: nulla nisi vel scripturarum autoritate, vel quavis alia ratione analogiæ fidei consentanea.

XXVI.

Horum effrenatæ libidini opponimus tum universa illa nunc indicata S. literarum testimonia: tum etiam purioris Antiquitatis unanimitatem, quem nobiscum alit, consensum.

XXVII.

D. Augustinus certè, Quisquis, inquit, vel esse, vel fuisse in hac vita aliquem hominem existimat, excepto uno Mediatore DEI & hominum, cui necessaria non fuerit peccatorum remissio, contrarius est scripturæ.

XXVIII.

Quin & ipsi Pontificii, Andabatarum more à se invicem dissentiunt: Magistro sententiarum nobiscum sentiente: defendente contrarium Scoto: cui tamen rursus Bonaventura & plerique alii contradixerunt.

XXIX.

Quid quòd etiam post Concilium Basiliense, in quo Anno Christi 1439. hæc impietas fuit stabilita, & festum conceptionis Mariæ, annis triginta & uno post, introductum: Sixtus tamen IV. A. C. 1478. utramque sententiam voluit esse liberam, ideo, quòd Romana Ecclesia nihil hac in parte definiert.

A 3

Videas

Bellar.
Tom. 3.
pag. 324

Mag. sent.
1. 3. dist.
3. lit. A.
Scot. 3.
sent. d. 3.
q. 1.

Videatur pars prima exam. Concil. Trid. Magni illius
Theologi, Doct. M. Chemnitii, Pa. 105. & 106.
edit. anni 1585. fol.

XXX.

Neque obstat, quod ogganniunt Pontificii: Si Maria tum temporis,
quo Christum concepit, non expers fuerit peccati originalis, fieri non
potuisse, quin aliquid vitii in Filium redundarit.

XXXI.

Quia enim Maria neque naturali modo concepit, neque etiam Fili-
um suum unigenitum peperit: sed præter rerum seriem: Quin & san-
ctificatio intervenit, qua, obumbrante eam Spiritu sancto, & superve-
niente virtute altissimi, massa illa, ex qua Christus conceptus, ab omni
labe purgata & sanctificata fuit: nihil utique vitii aut immundicie ex
Maria virgine, licet more reliquorum hominum peccato originis fue-
rit inquinata, ad massam illam & ad filium penetrare potuit.

XXXII.

Unicum ergo hunc Mariæ Filium Christum Servatorem nostrum
à lue ista originali excipimus: reliquos verò universos, secundum natu-
ram propagatos, eidem obnoxios esse, concludimus.

XXXIII.

Quæ verò hic movetur quæstio de portentosis partibus & in-
fantibus iis, quos ex incubo & succubo gigni, nonnulli fingunt: ubi vel
maris vel fœminæ usum præbeant Cæcæ demones: An & hi quippe na-
turali modo minimè geniti eodem contagio peccati Originalis sint infecti:
eam unâ cum autore suo ad æternum inferorum barathrum relegandam
judicamus.

XXXIV.

Neque enim Diabolus, omni sua potentia in unum collata, homi-
nem naturalem, corpore & anima rationali constantem, vel solus, vel
quovis alio humano interveniente medio gignere potest: & si quid hu-
jusmodi aliquando evenisse legitur, quemadmodum de Satyris, Silenis,
Tityris, Poetæ & alii nugantur, non homines naturales, sed vel incarna-
tos diabolos, vel meras fuisse præstigias, constanter asserua-
mus.

De

De incubis & succubis vide Augustinum l. 8o. de Civit.
DEI, & de Satyris ac hujusmodi monstris aliis My-
thologiam Natalis Comitis, l. 5. cap. 8.

& seqq.

XXXV.

De propagatione peccati Originalis, de qua in prima hujus prin-
cipalis questionis diexodo quæri solet, sic statuit Confessio nostra: Cum
peccato nasci omnes, seu Nascentes habere peccatum originis
omnes, hoc est, per naturalem generationem id propagari in o-
mnes, ac universos filios hominum.

Quæstio
de propa-
gatione
peccati.

XXXVI.

Idem nimirum asserens, quod scriptura, quæ Adamum liberos non
ad DEI, sed suam imaginem procreasse perhibet, & ad ipsum conceptio-
nis momentum, contagii hujus propagationem reducit.

Gen. 5, 2.
Ps. 51, 7.

XXXVII.

Quemadmodum enim Adam, si in illo primævæ innocentie & in-
tegritatis statu perstitisset, ad posteros quoq; DEI imaginem propaga-
surus fuisset: Sic posteaquam a DEO opifice deficiens, concreatam per-
fectionem amisit, succedente in locum ejus labe hac sive peccato origi-
nali: simul hujus quoq; mali teterrimi non reatum duntaxat, sed ipsum
quoque vitium ad omnem suam posteritatem transmisit.

XXXVIII.

Hinc Apostolus nos τῆ φύσεως, naturâ filios iræ pronunciat, & Chri-
stus Servator: Quicquid ex carne natum est, carnem esse, testatur: adeo
ut lethiferum hoc malum nobis Innatum, & post lapsum ita Conna-
turale factum sit; ut non cælestis, sed terreni Adam gestemus imagi-
nem.

Eph. 2, 3.
Ioh. 5, 6.
I. Cor. 15,
49.

XXXIX.

Quemadmodum & infantes contagium istud secum hanc in lucem
ferunt, & eapropter morti etiam ac mortalitati sunt obnoxii, juxta A-
phorismum illum Apostolicum: Stipendium peccati est mors.

Rom. 6,
49.

XL.

Quam eandem ob causam, sacrobaptismate, lavacro illo regenera-
tionis vel maxime opus habent: Nisi enim ex aqua & Spiritu renasce-
rentur, regnum utique cælorum nunquam possent ingredi: attestante
Servatore Ioh. 3, 5.

Quam

Ambros.
in Apolo.
Davidis.

XL I.
Quam in sententiam præclare D. Ambrosius inquit: Nec unus diei infans est sine peccato: nec materni conceptus dies unus sine peccato est: Sed concipimur in peccato parentum, & in deliciis nascimur, sed & ipse partus noster sua habet contagia.

XL II.

Et D. Augustinus, Parvuli, inquit, naturâ peccatores sunt, quia propter peccatum, quod in eos non actione, sed conceptione seminis pertransiit, moriuntur. Non enim morerentur, si caro peccati non alerentur.

XL III.

Neque diversum quid (uti nonnulli hodie contendunt) de liberis, ex piis ac renatis parentibus in lucem editis, hac in questione fuerit statuendum.

XL IV.

Aug. Ser.
14. de
verb. A-
post.

Quamvis enim lues illa parentibus per gratiam sit remissa: quia tamen Generatio non est gratiæ, sed naturæ opus proprium, & ut scitè D. Augustinus loquitur, fidelis non generat eum, unde regeneratus, sed unde generatus est: fit ut de fideli & renato non nascatur fidelis & re-
batus.

XL V.

Id quod idem August. loco citato, præclaris similitudinibus explicat: Miraris, inquit, quare peccator nascatur de semine justi, non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivæ. Accipe aliam similitudinem: Iustum baptizatum pone granum purgatum, non attendis, quia de grano purgato, frumentum cum palea nascitur, sine qua tamen seminatur. Deinde, cur sit in propagine natorum spiritualis generationis, ut de baptizato baptizatus nascatur, cum videas, de circumciso non nasci circumcisum?

XL VI.

Modus
propaga-
tionis
peccati.
Origina-
lis.

Ceterùm de modo atque ratione propagationis hujus, variè semper quaesitum & à pleriq; primùm disputatio non tam intricata, quam minus necessaria, de Origine Animæ fuit instituta: nonnullis, ex tra-
duce eam propagari in liberos: aliis verò divinitus eam infundi, con-
tendentibus: utrisq; profectò sese implicantibus magis, quam expli-
cantibus.

XL VII.

Mag.
Sent. 1. 2.
dist. 3.

Deinde verò, & cum primis à Magistro sententiarum valde anxie fuit quaesitum: An peccatum Originis, per prius insit animæ, per posterius verò Corpori: an verò vice versa, per prius corpori, per posterius ani-
ma:

ma: Item in qua parte hominis magis, in qua minus illud habeat: & quae sunt his similia. XLVIII.

Utriusque questionis plenam & omnibus numeris absolutam decisionem praesentis vitae conditio nobis non largitur: Quare rectissime litem hanc ἔτιωχῆ Christiana dirimit.

XLIX.

Interim tamen ut de utraque nostram quoque sententiam aperiamus: de prima questione statuimus. 1. Eam Physicorum & Medicorum ma Arist. lib. 7. Meta-
gis, quam Theologorum Scholis competere. 2. Eam probabiliorem no- 7. Meta-
bis videri sententiam, quae, animas non divinitus demum infundi, sed phys. c. 3.
ex traduce per parentes in liberos propagari statuit, juxta illud Philo-
sophi: ἀνδρῶν & ἀνθρώπων γεννᾶ, ὁ καὶ ἐκασοῦ τῶν τινῶν: Homo ho-
minem generat: Individuum seu singularis, singularem seu individu-
um hominem. L.

De posteriore questione statuimus, peccatum Originis in neutra parte hominis sola haerere, aut successive transfundi ex hac in illam: sed in utraque simul, hoc est, corpore & anima, in mente, voluntate, ac universis viribus & facultatibus hominis inesse.

LI.

Unde recte Clemens Alexandrinus infert, τὴν ἕξασιν ἐν αὐτῷ καὶ Clem. 1. 3.
καὶ οὐ τὴν τῆς σωματικῆς μόνων; ἀλλὰ καὶ τὴν τῆς ψυχῆς, Vitiosam Strom. f.
esse generationem, non eam solam, quae est corporis, sed etiam, quae est 201, 29.
animae.

LII.

Neque verò ideo Deus peccati autor atque conditor statuitur: Siquidem maximum est discrimen inter naturam ipsam, & adhærens ipsi vitium & ἀταξίαν. LIII.

Naturam enim & substantiam humanam, qualis ea in se est, talem condit, format, & conservat Deus: ἀταξίαν verò, sive ἀνομίαν & contagium Originale, ei adherens, minime creat, sed in ea invenit & relinquit: quemadmodum & seminis humani corruptionem non operatur: sed invenit, & cum alia non sit, ex hac materia hominem condit. LIV.

Inferimus hinc, diversam esse rationem peccati Originalis in nobis, & in protoplastis. LV.

In his enim transgressio actualis praecessit vitium Originis: quippe qui naturam habuerunt omnis mali expertem: transgressione autem
B praecepti

praecepti divini eam polluerunt. In posteris verò Adami omnibus, Originale malum, tanquam fons actualium praecedit.

Quaestio II. Principalis, πῶς τὸ τὸ ὄν, Quid & Quale sit peccatum originis.

LVI.

Quod in aliis scientiis locum habet axioma, ut ex habitu de privatione, & contra de privatione ex habitu fieri possit iudicium: id in Theologia nostra, & quidem in praesenti quaestione, locum merito obtinere debet.

LVII.

De imagine DEI in protoplastis.

Haec enim rectius de definitione peccati Originis poterit constitui, quam si, quid & qualis fuerit praecedens habitus, iustitia nimirum originalis sive Imago DEI, ad quam protoplasti erant conditi, cognitum, per spectumque habuerimus.

LVIII.

I. Fuit autem haec neque per se ulla aliqua substantia: Nam alioquin eius privationem, peccatum originis substantiam quoque ab anima & corpore hominis distinctam esse, foret consequens.

LIX.

II. Neque etiam ipsam Protoplastorum substantiam, vel quoad animam, vel quoad corpus constituit: Amissa enim imagine DEI, ad quam erat conditus, ipsum quoque vel corpus, vel Animam Adamus amisisset.

LX.

III. Neque denique pars aliqua anima extitit: siquidem haec ut spiritus, est ἀμείγιστος, ἡ ἐκλῶς ὁλόνη, partem extra partem, nullam habens: ac proinde pars eius destrui nequit, quin tota perimatur.

LXI.

Unde non ad substantiarum, sed Accidentium classem, eam referendam esse, contra recentiores Manichaeos firmiter colligimus.

LXII.

Neque tamen in eorum Accidentium numerum simpliciter eam referimus, quae in categoria πῶς ἢ sive Relationis considerantur: quemadmodum nonnulli Iudaorum Rabini, solo principatu & dominio in res creatas, eam definire fuerunt ausi.

LXIII.

Esi enim non fuerat ipsa hominis substantia, vel aliqua eius pars ἐνσώματη: erat tamen concreata hominis perfectio: in mente, lux cognitionis & sapientiae divina: in corde, conformitas cum lege DEI:

in

in reliquis animæ potentiis, congruentia cum **D E O** archetypo, con-
iuncta cum plenissimo rerum creaturarum dominio: in corpore deniq;
summa humorum & totius temperamenti *ἁρμονία*, omnium morbo-
rum, & pravarum affectionum, ipsiusq; adeo moris penitus expers.

LXIV.

Id quod D. Apostolus exprimit, hominem primum in iustitia &
sanctitate veritatis *ἁγιότητι*, secundum **D E U M**, conditum fuisse pro-
nuncians. Eph. 4. 24. Coloss. 3. 10. & non substantiâ, sed qualitatibus
eam definiens.

LXV.

Unde Lutherus noster, Connaturalem eam, & ita humane natu-
ræ concreatam fuisse affirmat; ut ejus ablatio, non quidem substanti-
am ipsam destruxerit: sed horribiliter tamen depravârit, reamq; iræ di-
vine ac æternæ damnationis constituerit: id quod per lapsum protopla-
storum evenisse, sacræ literæ testantur.

Commēt.
in Gene-
sin pag. 14

LXVI.

Exceptit ergo nobilissimam hanc **D E I** *εἰκόνα* sive imaginem ipso
statim primo conditi Adami die, si Irenæo credimus, horrendâ planè, ac
ineffabilis totius naturæ humanæ, omniumq; ejus virium deformatio,
& corruptio, quam **P E C C A T U M O R I G I N I S** nominare solemus,

LXVII.

De hoc & Quid sit, & Quale sit, in Theologorum Scholis sem-
per variè fuit disceptatum, ac in diversas planè sententiâs tum Pa-
tres, tum Scholastici etiam Doctores scindebantur.

Peccatum
Originis
Quid.

LXVIII.

Missis in præsentiiis definitionibus, de quibus Apologia Articuli
hujus eruditè disputat, omnium accuratissimam eam esse judicamus,
quam Confessores nostri conceperunt, definiens Peccatum originis,
morbum naturalem, & omnibus hominibus innatum contagi-
um atque vitium, quod nos non modò sine metu & fiducia Dei,
& per concupiscentiam totos depravatos effecit, sed & æternæ
damnationis, nisi regeneratio interveniat, reos constituit.

LXIX.

Confutatores Pontificii in ipsis comitiis Augustanis hanc definitio-
nem vellicabant, hoc potissimum nixi argumento: Sine metu **D E I**,
& sine fide esse, est culpa actualis. Ergo Articulus protestanti-
um negat culpam originalem.

B 2

Item:

LXX.

Item: Sine metu DEI & sine fiducia erga DEUM esse, est culpa actualis hominis adulti, inq̄ infantem retens natum, qui rationis usus non pollet, non cadit, secundum illud, Deut. 1, 39. Parvuli tui, qui hodie boni maliq̄ ignorant distantiam. Ergo de peccato originis minus ree se docent Protestantes.

LXXI.

Ad utrumq̄ cavillum respondet Apologia. 1. Verba ista non ἐπίγνωσις, sed naturalem potius notare ἀδυναμίαν, impotentiam, qua praepediti, ne quidem DEUM timere, eiq̄ fidere possimus: ita quidem, ut non de actionum vitiosarum praesentia, sed potius bonarum, quae adesse debebant, absentia & σιγήσιν locutio isth. et sit accipienda.

LXXII.

Deinde, quoad locum Mosaicum, quem prorsus impertinenter huc accommodarunt consutatores, manifestum est, DEUM in infantibus nequaquam naturae bonitatem, sed aetatis tantum conditionem commendare, quae licet culpa actuali careat: ipsum tamen defectum virium, quae hac praestare debebant, non tollit.

LXXIII.

Definitionis ergo nostrae stante veritate, quanta sit peccati Originalis sceditas & atrocitas, liquet: tanta nimirum, ut lucem Sapientiae & agnitionis divinae exceperint tenebrae plus quam Cimmeriae: Sanctitatem & puritatem cordis, aversio à DEO, & conversio ad malum: integritatem, & perfectionem, & harmoniam ceterarum virium omnium tam corporis, quam animae cum DEO horribilis contumacia, immortalitatem denique mors corporalis & aeterna.

LXXIV.

Et ita quidem altè radices malum hoc in tota nostra substantia, singulisq̄ ejus partibus egit, ut non in superficie duntaxat haerens, prohibitu à nobis abstergi queat: sed adeò omnes vires & facultates tum corporis, tum animi pervasit & infecit, imò ad medullas ipsas & intimos recessus penetravit, ut nihil sani, nihil integri in nobis relictum à planta pedis, ad verticem usque capitis, Ies. 1, 6.

LXXV.

Id quod ex consideratione partium istius mali patebit manifestius, quarum principales sunt duae. Una corruptionis: altera Reatus propria.

Corruptio

LXXVI.

Corruptio respicit & σέκουip, privationem justitiæ sive ima-
ginis originalis, debita inesse: & θείουip, positionem habitus contrarii,
depravationis nimirum omnium virium humanarum.

LXXVII.

Hanc θείουip sive depravationem scriptura plerunq; Concu-
piscentiæ voce indigitat, propterea quæ sædissimam pessimarum con-
cupiscentiarum luem, hoc est, perpetuam naturæ inclinationem ad ma- Eph. 4, 22.
lum in naturam hominis invexit: ita ut, Apostolo teste, homo per con-
cupiscentias erroris corumpatur.

LXXVIII.

Quo sensu Damascenus peccatum originis dicit esse superfluitatem
concupiscentiæ, & non necessariam concupiscentiam: σιγήτωμα ἐπι- L. 4. Orth.
θυμίας ἢ οὐ ἄσθενῆ ἐπιθυμίας. fid, c. 26.

LXXIX.

Reatus hujus mali non tantum est servitus seu conditio morta-
litate, quam propagati ex Adamo sustineant, sine aliquo proprio vitio,
propter alienam culpam.

LXXX.

Propter quam tamen servitutem nemo æterna morte damnetur,
sicut ex ancilla servi nascuntur, & hanc conditionem sine proprio na-
turæ vitio, propter calamitatem matris sustinent: uti nonnulli hæreti-
ci fuerunt negati.

LXXXI.

Sed & tristissima illa servitus, qua nos ad unum omnes homines
cum Protoplastis, respectu primi istius atrocissimi delicti, in societate
culpæ sumus, aded, ac si ipsimet de pomo vetito comedissemus.

LXXXII.

Cujus servitutis hæc est qualitas & effectus, ut venundati sub
peccatum, naturâ simus filii iræ DEI, carentes gloria DEI, & nihil
prorsus aliud, quàm officina mortis & condemnationis dici queamus.

Qualitas
peccati
Orig.
Rom. 3,
23. & c.
5, 12.

LXXXIII.

Quam mortalium summam calamitatem scriptura nullibi non
verbis & phrasibus maximè significantibus exprimit: ut videre est
Gen. 5, 3. c. 6, 5. c. 7, 18. & c. 8, 7. c. 8, 21. Job. 14, 4. c. 15, 15. Ies.
1, 6. Rom. 3, 23. c. 5, 12. 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 3, 5. Eph. 2, 3.

B 3

Quod



LXXXIV.

Rom. 7.
24.

Quod perpendens *Apostolus*, in tragicam illam exclamationem erumpit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.*

LXXXV.

Faceſſat ergo ea impietas, quæ originale hanc corruptionem, minutum ſaltem peccatum eſſe definit: quin potius ex hoc ejus effectu maximum ac atrociffimum illud eſſe ſtatueamus, quippe quod aditu cœleſtis regni, univerſum genus humanum intercludit, ac æternæ damnationi adjudicat.

LXXXVI.

Neque eſt, ut *Semipelagiani* iſti litem nobis moveant, de infantibus, quaſi hi corruptionis huius ſint expertes, quippe in quos voluntas, quæ tamen vel maxime ad definitionem peccati conſtituendam requiritur, per ætatem nondum cadere poſſit.

LXXXVII.

Aug. l. 3.
c. 5. con-
tra lul. Pe-
lag.

Fruſtra enim (ut de ſuo hoc nobis *Auguſtinus* largiatur): deò putas parvulis nullum eſſe delictum, quia ſine voluntate, quæ in eis nulla eſt, eſſe non poteſt. Hæc enim rectè dicuntur, de proprio cuiuſque peccato, non de Originalis peccati contagio: Quod tamen & ipſum à primi hominis voluntate ſumſit exordium.

LXXXVIII.

Rom. 7.
19.

Deinde verò negamus, ac peccati conſtitutionem neceſſariò hoc ſemper requiri *προσκειμενον*, ut ſit voluntarium. Si quidem *Apoſtolus* ipſe, malum quod nolit, ſe operari, diſertè fatetur.

LXXXIX.

ſufficit in infantibus ipſa ἀνομία, corruptio & defectus, ex quo natura ipſorum juſtitie divine non reſpondet: ac proinde impolluta haberi nequit.

XC.

Quin imò ſi rem paulò altiùs expendamus, liquet, ne in ipſis quidam infantibus, malum hoc ἀκρίσιον, ſed verè, ſuo tamen modo, ἐκδύσιον, dici poſſe ac debere, eoſq; non invitò peccare, ſed peccando delectari.

XCI.

Etſi enim non ita eſt voluntarium, ſicuti peccata actualia: ipſa tamen teſtis eſt experientia, infantes, primùm ac leviter voluntas ipſo-

7112

rum in actum aliquem deducitur, verè delectari peccatis: ita quidem ut procedente aetate, ne gravissimis quidem cohortationibus, comminationibus & pœnis, à peccatis abduci se patiantur.

XCII.

Præterea si peccatum hoc ex naturâ sua pensatur, aliud quàm voluntarium dici non potest: nam 1. à voluntate vitiosa suam sumit originem. 2. voluntati ipsi tanquam subjecto inhaeret. 3. Eo nondum renati delectantur, ubi voluntas concurrat, necesse est.

XCIII.

Quod porrò nonnulli ogganniunt, peccatum hoc pœnæ potiùs respectum, ratione nostri obtinere, ita ut iniquum videatur, si alio graviore supplicio sit luendum, respondemus rursus cum D. Augustino, idem atque unum posse esse & peccatum, & pœnam peccati, & causam peccati: id quod vel maximè ex peccati Originis naturâ, de qua hæctenus dictum, est manifestum.

XCIV.

Cæterùm etsi naturâ suâ malum hoc originis lethale est omnibus, eternam mortem inferens: hunc tamen suum effectum minimè consequitur in iis, qui per Aquam & Spiritum renascuntur: qui renovantur Spiritu mentis suæ: qui denique ex vetustate Adami in novos homines, & novas creaturas regenerantur. Iob. 3, 5. Eph. 4, 23. Coloss. 3, 9. & 10. Gal. 6, 15. 2. Cor. 5, 17.

XCV.

Controvertitur autem vel maximè de hac regeneratione: Num in renatis per baptismum aboleatur peccatum Originale, an verò remaneat: & si aboletur, totumne illud tollatur, an ex parte duntaxat vel reatus vel corruptionis.

XCVI.

Ac Pontificii quidem Doctores ita hominem per baptismum regenerari affirmant, ut in hac etiam vita, sublato peccato, perfectè legi DEI satisfacere possit.

XCVII.

Hoc enim vult Tridentina Synodus, anathematis fulmine (bruto tamen) percutiens eos, qui non totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, tolli, sed radi tantùm, aut non imputari dicunt.

ubi

In baptif-
mo pecca-
tum quo-
modo tol-
latur.

Sess. 5.
decr. 5.
An. 1546.
d. 17. Jun.

XCVIII.

Ubi et notandum, Paternos, male feriat hujus concilia-
buli per calumniam insignem ista duo conjungere, Radi, & non impu-
tari: quasi utrumq; hoc nos statuamus: cum illud quidem (Radi) tan-
quam hereticum abominemur: istud autem (non imputari) tantum
pro nostro agnoscamus.

XCIX.

Controversie autem hujus decisionem ex accurata distinctione par-
tium hujus peccati rectissime peti & expediri posse, statuimus.

C.

Cum enim in eo duo sint, & Depravatio omnium virium hu-
manarum, consecuta privationem Iustitie, debite inesse: & Reatus:
hunc quidem in baptismo plane tolli; neque quicquam ejus, quod ad
damnationem renatis obsit, remanere statuimus.

CI.

Rom. 8, 1. Siquidem nulla jam est condemnatio his, qui sunt in Christo Iesu: &
Gal. 3, 27. quicumque in Christo baptizati sunt, Christum induerunt: ipsorumq;
Mich. 7, peccata in profundum maris, quod est Baptismus, projecta sunt omnia.
19.

CII.

Et hoc ipsum est, quod vulgo in Scholis dicitur; Tolli in Baptismo
Formale: Manere autem Materiale: per Formale Reatum: per Mate-
riale vero ipsum defectum & concupiscentiam intelligendo.

CIII.

L.I. de Vel, uti D. August. loquitur, Dimitti concupiscentiam carnis in
nupt. & baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur.
Conc. c. 25.

CIV.

Etsi vero ipsa quoque vires nostre depravate renovari incipiunt:
ipsa tamen renovatio in quantumvis Sanctis, hac in vita nunquam pla-
ne absolvitur.

CV.

Phil. 3, Liqueat hoc perspicua ipsius Apostoli confessione, dicentis: Non
12. quod apprehenderit, aut jam perfectus sim: Sed sector, si etiam appre-
hendam quatenus & apprehensus sum a Christo Iesu.

CVI.

An Con- Remanet ergo semper in Sanctis sive Renatis Concupiscentia:
cupiscen- Quae an peccati proprie sic disti rationem, & quo respectu obtineat, acri-
tia in re- ter superioribus annis inter D. Lutherum & Pontificios disceptatum
natis pec- fuit.
cati ratio-
nem ha-
beat.

CON.

CVII.

Conciliabulum quidem Tridentinum pro suo, quod in scriptura sibi arrogavit, censorio, supercilio, negativam his verbis sancire voluit: *Sess. 5. decret. 5.*
Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta (scilicet) Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in Renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat: Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.

CVIII.

Quam impietatem adauget Iohannes à Darentria, impudentissimus Monachus, scribens: Non præceptum est carni, nec animæ sensitivæ, sed intellectivæ, Non concupisces, quod illa non potest. *In refutat. art. 2. conf. August.*
est non concupiscere carnalia. Si carni præciperetur, Non concupisces, perinde esset, ac si Deus Soli & Lunæ præcepisset, ne lucerent; igni, ne arderet, aquæ, ne deflueret; lapidi, fundâ emisso, ne decideret. Hæc enim omnia agunt naturæ vi impellente; Sic caro seu anima sensitiva, hac corruptela, quam à proteroparente contraxit, carere non potest.

CIX.

Quin eò blasphemiae idem scurra progressus, ut affirmare haud dubitârit, Concupiscentiam hanc, (quam ille fomitem appellat) non modo non esse peccatum, sed etiam, si rectè homo ei moderetur, meriti causam esse.

CX.

Nos blasphemias istas Pontificiis relinquentes cum D. Luthero, sacris edocti literis, in affirmantem toti concedimus.

CXI.

Apostolus certè uno ad Romanos septimo capite, Concupiscentiam, quæ in se habitat, deciesquater sub peccati censum revocat, eaq; ipsi effecta ascribit, quæ non nisi peccati sunt propria: qualia sunt. pugnare cum Lege Dei, non concupisces, ver. 7: Venundari sub peccatum, ver. 14. operari malum, ver. 17. & 20. repugnare legi mentis, & captivos nos reddere legi peccati, vers. 23. CXII.

Et Pharisæicum planè illud est, quod præcepto isto: (Non concupisces) non ipsam concupiscentiam, sed actum duntaxat concupiscendi prohiberi, contendunt Pontificii,

CXIII.

Non enim de actu tantùm, sed de ipsa concupiscentia affirmat *Rom. 7, 7, C* Apostolus:



Apostolus: peccatum non cognovi nisi per Legem: Nam & concupiscentiam non novissem, nisi Lex dixisset: Non concupisces.

CXIV.

Matth. 5, 22. Nimis etiam & deop illud, quod primos concupiscentiae motus, quibus non praebetur assensus, peccata esse iidem inficiantur.

CXV.

Eph 4, 22. Rom. 5, 1. Servator certe noster Iudicio obnoxium pronunciat eum, qui temere irascitur fratri suo: primum utique motum, & inordinatum fervorem irae, sub peccatorum censum haud obscure referens.

CXVI.

Rom. 8, 1. Nos, missis istis ineptiis, statuimus tandem, licet concupiscentia in renatis non sit peccatum regnans, quo desideria carnis perficiuntur: neque etiam peccatum damnans; siquidem persona fide justificata pacem habet erga DEUM.

CXVII.

Esse tamen ac manere ratione & propria naturam suam peccatum, hoc est, malum pugnans cum Lege DEI: quod certe, vel idcirco, quia inest, in aeternam mortem pertraheret, nisi propter Christum non imputaretur.

CXVIII.

Verum vela hic contrahimus, & quae porro contra Scholasticorum delirium Pelagianum, de fomite peccati multa garrientium disputari possent, ea ex Apologia confessionis nostrae de Articulo hoc secundo petenda esse arbitramur.

CXIX.

Aug. 1. 5. in modum graviter differentem: Sicut caecitas cordis, quam solus remonet illuminator DEUS, & peccatum est, quo in DEUM non creditur, & poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid caeci cordis errore committitur: Ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis, & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.

CXX.

Cui consonat & istud: Non regnet peccatum in mortali vestro

stro

stro corpore. Non sit, Non sit, sed, non regnet. Quam diu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis: Saltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet.

Aug. tract. 41. in Ioh. Tom. 9. col. 309. & 310.

Pars II. Articuli hujus ἀνθρώπων.

CXXI.

Classis errantium in hoc articulo est gemina: Una eorum, qui de imagine DEI perperam sentiunt: altera eorum, qui de subsequuta corruptione ὑποτάξεως ἢ ὑγιαίνοντων λόγων non observant.

CXXII.

Quoad primam classem, circa doctrinam de Imagine DEI in primo homine errant initio Anthropomorphitæ, ipsosq; secuti recētiore Ma-
nichæi sive Flaciani, desinientes DEI imaginem non qualitatibus, sed ne DEI ipsamet hominis ὁμοίω: ac inscitè admodum cum substantia adjunctum, & disparata invicem confundentes.

CXXIII.

Deinde errant & ii, qui nobiliorem duntaxat hominis partem, λογικὸν videlicet; non verò totum hominem, seu naturam humanam integram ad imaginem DEI referunt.

CXXIV.

Errant præterea, qui imaginem DEI juxta varias anime potentias explicantes, in representatione unitatis essentia divina, & Trinitatis personarum consistere sunt opinati. Quem errorem olim secutus est D. August. l. de salut. docum. c. 3.

CXXV.

Errant deniq; Pontificii, & Scholastici cum primis Doctores, imaginem hanc externum saltem aliquem ornatum fuisse, garrientes, qui haud secus ab homine, sine ejusdem naturæ depravatione & corruptione auferri potuerit, ac color aliquis in tabula extinguitur, vel corolla de capite virginis auferatur.

CXXVI.

Quoad articulum de peccato Originis, damnat confessionis nostræ archetypus Pelagianos, & alios, qui vitium Originis negant esse peccatum, & ut extenuent gloriam meriti & beneficiorum Christi, disputant, hominem propriis viribus rationis coram DEO justificari posse.

Hæreses de peccato originis.

CXXVII.

Quam posteriorem ἐνὸς ἰσως partem mutata confessio subdolè eli-
sit, sic oratione informata, quasi confessores nostri solam Pelagianorum
hæresin suo anathemate notatam cupiant: cum tamen constet, eos parti-
cula (alios) in reliquos etiam errores omnes, qui vel tum orti erant,
vel post oriri potuerunt, fulmen hoc suum stringere.

CXXVIII.

Peccant autem errores isti, vel in partem ἐκείνης: vel in par-
tem ὑποβολῆς.

CXXIX.

In defectu peccantium, primas tribuit confessio Pelagianis, hosti-
bus illis gratia DEI, quorum hi fuerunt hoc in articulo errorum flosculi.

In defectu
peccant.
I. Pelagi-
ani.

I. Adamum, etiamsi non peccasset, moriturum tamen fuisse ipsa le-
ge seu conditione naturæ: Hoc nimirum fundamento subdolè suam sen-
tentiam confirmare conati sunt, ne mors pœna peccati videretur esse.

II. Peccatum Adami ipsi soli nocuisse, non posteris ejus.

III. Peccatum originis parvulos à parentibus neque trahere, ne-
que habere.

IV. Libidinem & concupiscentiam, quæ naturâ hominibus inest, esse
bonam.

V. Naturam humanam etiam post lapsum integram & incorruptam,
& in rebus quidem spiritualibus bonam & puram mansisse, ut per nos,
nullo accedente ulteriore divina gratia adiutorio, bene agamus & vi-
vamus.

VI. Originis peccatum in nos non propagatione, sed imitatione, as-
suefactione, vel Exemplis addisci aut contrahi.

Refutata est hæc hæresis, tum Patrum, imprimis D. Au-
gustini scriptis. Tom. 7. operum: item Ambrosii de voc.
gent. & Hieronymi contra Pelagianos: tum variis
in Synodis, Palæstina, Carthaginensi, Mi-
levitana, Arausiana.

CXXX.

II.
Anaba-
ptistæ.

Ex hac propagine postmodum orii sunt Anabaptistæ, qui infan-
tes sine peccato nasci, ideoq; baptismo non egere, ex falsa hypothesisi
falsissimè contenderunt: quin & eò progressi sunt impudentiæ, ut cro-
citarent, peccatum Originis esse figmentum Augustini, quod simile sit
Mathematicorum hypothesisibus de eccentricis & epicyclis.

Eundem

CXXXI.

Eundem errorem auxerunt Scholastici Theologi sub Papatu, qui peccatum Originis definiebant levi ac momentaneo quodam accidente, quod naturalia integra reliquerit, quodq; in superficie duntaxat hærens abstergi facile, & in hac vita separari ab homine auferriq; possit.

III.
Schola-
stici.

CXXXII.

Et ne durius quid in eos statuere videamur, propria ipsorum inspiciamus verba: Biel ergo l. 3. sent. dist. 27. Hominem ex puris naturalibus DEUM posse super omnia diligere, asserit. Ruardus Tapperus, hominem per sua naturalia posse præcepta omnium virtutum Theologicarum adimplere, contendit, quoad substantiam actuum, l. de lib. arb. pag. 292.

Andradius scribit, Philosophos sine verbo DEI, & sine Spiritu regenerationis, solo naturalium notitiarum & virium ductu, ad veram fidem & iustitiam, qua salvati sunt, pervenisse. l. 3. f. 292.

CXXXIII.

Quæ concilii Tridentini de peccato Originis sit sententia, supra ostensum thesi 97. & 107. Cujus decisionem prorsus ratam, ac sacrosanctam defendere conatur Iesuita Bellarminus, Tom. III. Controversiarum, lib. 5. de amiss. grat. & stat. pec.

IV.
Pontificii.

CXXXIV.

Ad eundem in defectu errantium censum referimus etiam Zuinglium, qui, peccatum Originale, ut est in filiis Adæ, propriè peccatum esse, negavit: Id quod Confessio ejus ad Carolum Imp. disertè testatur, ubi sic scribit: Volumus, nolumus, admittere cogimur, peccatum Originale, ut est in filiis Adæ, non propriè peccatum esse. Non enim est facinus contra legem.

V.
Zuingli-
us.

Et l. de Baptismo, passim hunc ipsum errorem clarè defendere conatur, ut vel cecutire vel insanire oporteat Georgium Sohnum Sacramentarium, qui falsò hujus erroris Zuinglium insimulari contendit.

Sohn.
Tom. 2.
Operum
p. 592.

CXXXV.

Ejusdem farinae est, quod Calvinus, Beza, & horum discipuli asserunt, Christianorum liberos à parentibus sanctificationem ducere; & NASCI in sædere adoptionis. Calv. l. 4. Instit. c. 16. § 5.

VI.
Calvinus
& Sacra-
mentarii.

CXXXVI.

Tandem ad hanc tribum pertinent etiam Synergistæ, Semipelagi

VII.
Synergi-
stæ.



ani illi, qui humanam naturam post lapsum non prorsus corruptam, sed instar vulnerati semivivam, & adhuc aliquid bonarum virium in illa relictum esse voluerunt, ut ex se, in rebus Spiritualibus aliquid boni inchoare, operari, vel saltem cooperari possit.

CXXXVII.

In Excessu
peccant
I. Mani-
chæi.

Ex parte ἡσθητικῆς, sive in excessu peccant, i. Manichæi, qui finxerunt, Peccatum Originis quiddam substantiale & essenziale, à Diabolo in naturam humanam infusum, & cum ea quasi permixtum, veluti vinum & venenum miscentur.

CXXXVIII.

II.
Flaciani.

Deinde recentiores Manichæi, ab autore, Flaciani dicti, qui naturam vel substantiam hominis ipsum peccatum Originis, sine ullo discrimine substantiæ & corruptionis esse, fuerunt opinati, hodieq; opinantur.

CXXXIX.

Cujus dogmatis impietas in omnes & singulos doctrinæ Christianæ articulos, vel certè præcipuos turpiter impingit; neque salvis illis ratione ulla stare potest.

CXL.

DEUS enim (ut aliquos saltem articulos delibemus) substantiam nostram etiam post lapsum creavit: Filius DEI eandem in baptismo per verbum regeneravit: Eandem DEUS à mortuis resuscitabit, & ingenti gloria ornabit. Atqui nihil horum, nisi DEUM peccati autorem constituere quis velit, de peccato affirmari potest. Ergo &c.

CXLI.

Nos accidens illud esse statuimus, non quidem leve, sed aded ἐνοχλικόν, ut omnes omninò vires corporis & animæ lethaliter insecerit, id quod supra demonstratum.

I. 4 Strb.
f. 219.

CXLII.

Quem in modum scitè Clemens Alexandrinus scribit: ἀμείλα τὸ ἀμαρτάνημ ἐνοχλικὸν ἔστι, οὐκ οὐσία: διὸ οὐδὲ ἔργου θεοῦ. Peccatum inter actiones ponitur, non inter substantias: Quamobrem nec DEI est opus.

CXLIII.

Aug. in
lib. conf.

Et August. Malum, inquit, quod quærebam, unde esset, non est substantia, Quia si substantia esset, bonum esset.

Et D.

CXLIV.

Et D. Lutherus noster: Discernenda est, inquit, deformitas à creatura: & spirituales homines debent distinguere, inter peccatum originale & creaturam.

Comment. in
ca. 4. & 25.
Genes.

CXLV.

Et si vel maxime de Natura nostra transmutatione verba facit Lutherus: tamen quid hac loquendi formula velit, haud dissimulat, ita in commentario suo in cap. 3. Geneseos inter iustitiam originalem, & naturam ipsam distinguens, ut illam quidem amissam, hanc verò & membra hominis quoad substantiam eadem mansisse, disertissime testatur.

CXLVI.

Sic cum malum hoc originis appellat peccatum Naturale & personale; imò hominem quoque ipsum peccatum esse pronunciat, non Manichæam sive Flacianam substantiæ sive naturæ humanæ in peccatum μεταβολή, sive transmutationem: sed abominandam & ineffabilem totius hominis deformationem & corruptionem intelligit.

CXLVII.

Quem in modum seipsum explicat Lutherus noster, affirmans, locutiones illas non in sensu proprio, sed ex linguæ latinæ usu, figuratè accipiendas esse; haud aliter, quàm cum aliquem excellenter scelestum nominaturi, Scelus vocamus.

CXLVIII.

Quod verò Flaciani commentum excogitarunt, de homine Theologico & Physico à se invicem distinctis: illud universæ Scripturæ ignotum esse affirmamus: quippe quæ unicum illum Physicum hominem, non alium per omnia considerat.

CXLIX.

Etsi enim scriptura inter veterem & Novum hominem distinguit, non tamen duos diversos specie homines: sed unius ejusdemq; physici hominis statum duplicem, unum peccati: iustitiæ & sanctitatis alterum exprimit.

Verum

CL:

Verum missa longiore Quaestionis hujus tractatione, ejus accuratissimam explicationem Articulus primus Christianae Formula Concordiae nobis exhibet: finem thesium hic constituimus: & totius hujus disputationis usum eum esse volumus, ut corruptionis nostrae atrocitatem serio agnoscentes & deplorantes, in solius Christi merito, fide vera apprehenso, salutis nostrae spem omnem fixam locatamque habeamus semper. A M E N.



2/1935 a


ULB Halle 3
001 541 250



5b







DISPUTATIO V.
Ex articulo secundo Augustanae Confessionis.
DE PECCATO
ORIGINALI, PONTI-
FICIORVM STROPHIS
potissimum opposita;

Ad cuius assertiones,
Spiritus sancti favente Numine,

SUB PRÆSIDIO
LEONHARTI HVTTERI, S. S.
Theologiae D. & Professoris in alma VVi-
tebergensi Academia, defendet

IONAS NICOLAI KYLANDER,
Gothus, Suecus,

ad diem 27. Augusti, horis locoq; consuetis.



WITEBERGAE,
Typis Simonis Gronenbergii, Anno 1600.

